

rum venenū, radicitū exstirpet. Quod idem Ioānes Crato medicus Cæsareus, *In Consil. medicin. Scholtzj.* ea tamen moderatione, non diffitetur, vt nocenti qualitate suspectum, quibusuis citra discrimen temerè non permittat. Iulius certè Alexandrinus, eiusdem splendidæ prouinciæ socius & consors, ad Gesnerum scribens, arcani vice fugando pestis contagio sincerè cōmendat. Hieronymus Cardanus ex illitu argenti viui, tremulos, & difficulter spirātes, medicamento è Stibio purgat. *Lib. 3. de Venē. c. 13.* Meminit sicca scabie oppleti nobilis viri Andreas Dudithius: cum inani variorū *Apud Scholtzium 39. & 42. Ep.* remediorū successu nil profecisset, tandem Antimonij virtute restitutū, in plures annos vixisse incolumem. Miratur ergo, quo pacto non sint vitales, multorum persuasione ij, quorum attritæ vires immitis medicamenti violentia, citiùs æquō suū decurrere fatale stadium cogantur. Ioannes certè Pedemōtanus, Italus, quem ibidem producit Dudithius, iterato frequenter Stibio, vitam magis incolumem, vrgentium morborum cauffis liberatam, traduxit. In eam sententiam Prosper Alpinus, Guilan- *Lib. 4. de*
dino